solum quidquid est, sed quidquid esse potest, absoluta necessitate subest ac regitur, visu mentis conspicere nititur veritatem, sapientiam, ac bonitatem substantialem, quae tum totius ordinis metaphysici intelligibilis fundamentum est et subsistens exemplar, tum causa luminis rationalis quo vera intelligimus. Ita argumentari videas Augustinum l. II de libero arbitrio (per totum); Confess. l. VII. c. 17; de vera relig. n. 52. sqq.; Soliloquior. l. I. c. 5. 8; de Ordine l. II. c. 16. Cf. Lessium de perfect. divin. l. VI. c. 4. n. 39. sqq.

Scholion. Sicut doctrinam Scripturarum videmus amplissimis ss. Patrum explicationibus declaratam, ut de genuino catholico intellectu nulla videatur esse posse dubitatio, ita eandem Scripturae et Patrum doctrinam, ne quid desideretur, scholae doctores communi consensu suis disputationibus vindicarunt; tradunt enim velut doctrinae caput, cui repugnare nefas sit, Dei existentiam ratione certo demonstrari posse. Inter innumerabiles consuli possunt s. Thomas (qui opinionem oppositam de Verit. q. 10. a. 12. *manifesto falsam,* cont. gent. I. c. 12. *errorem* appellare non dubitavit); Alexander Hal. 1. P. Summae q. 2. m. 2. aa. 1-4; m. 3. aa. 1-2; Albertus M. Summa theol. q. 14. m. 1. usque ad q. 17. Opp. T. XVII; s. Bonaventura 1. dist. 3. a. 1. q. 2. 3. Ex recentioribus consulantur Gillius de Deo Tract. VIII. c. 5. n. 7; Bellarminus de Grat. et lib. arbitr. l. IV. c. 2; Molina, Valentia, Suarez, Vasquez in 1. P. de Deo; Franc. de Lugo disp. XIV. c. 2.

Postremo quoad valorem demonstrationis rationalis conferantur lata in hac re iudicia. A facultate Sorbonica *de mandato apostolico* 1348 inter ceteras theses Nicolai de Outricourt etiam sequentes sunt damnatae: « Item (dixit), quod nulla potest esse demonstratio sumpta ex existentia unius rei, effectus ad causam aut e converso. » « Item quod nescimus evidenter, quia sit Deus, intelligendo per Deum ens nobilissimum » (Du Plessis d'Argentrée Collectio Iudiciorum etc. T. I, p. 355). Professor Argentoratensis a suo Episcopo approbante Gregorio XVI. (litteris apostolicis 20. dec. 1834.) iussus est subscribere (8. Sept. 1840.) huic

thesi: « Ratiocinatio Dei existentiam cum certitudine probare valet. » Propositiones huic geminas iubente s. Congregatione Indicis 12. Dec. 1855. D. Bonetty suscepit: Prop. 2. « Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. » Prop. 4: « Methodus qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos Scholastici non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. »

THESIS VII.

De sensu quo Patres notionem Dei naturae humanae insitam *appellant.*

« Notio Dei primitiva et adhuc confusa a ss. Patribus *naturae insita* appellatur non eo sensu, quo recentiores quidam de *ideis innatis* loquuntur. Patres enim illam Dei notitiam cum ipsa rationali natura consertam dicunt, quod naturae insito lumine velut sponte concipiatur ex obvia rerum mundanarum consideratione citra inquisitionem philosophicam et citra institutionem positivae revelationis; adeoque distinguunt *notitiam insitam* non ab acquisita simpliciter, sed tum a cognitione excultiori per diligentiores subtilioresque meditationes, tum maxime a cognitione perfectiori quae revelationi debetur. »

Cognitionem aliquam Dei omnibus hominibus ratione utentibus (« exceptis paucis, in quibus natura nimium depravata est ») communem et velut sponte oborientem a Patribus magno consensu asseri, eandemque naturae insitam dici, ex superiori thesi satis constat. Ex hac autem et aliis huic geminis appellationibus et descriptionibus, quidam viri eruditi Thomassinus, Henricus Klee, et post eos Staudenmair demonstrare aggressi sunt, suam sententiam de idea Dei innata et naturae rationali concreata genuinam esse et vix non communem Patrum doctrinam. Nos quidem illam opinionem philosophice spectatam putamus demonstrari posse nullo plane nixam solido fundamento; nunc tamen unice de Patrum sententia sermo nobis est, qui de hac re non raro in connexione cum doctrina Scripturarum atque adeo theologice loquuntur.

Inspectis itaque Patrum contextibus omnino convincitur,

hanc ipsam cognitionem, quae prolatis eorum verbis asseritur insita et congenita naturae, doceri obortam ex operum Dei inspectione licet obvia et sponte se ingerente; nomina vero et descriptiones, quae proferuntur, non illud sibi velle, quod idea ipsa et notitia Dei animae concreata sit; sed quod anima rationalis imago Dei ad Deum cognoscendum ita facta est, ut ex insitae rationalis facultatis exsertione indeliberatâ atque ita motu naturali ad aliquam Dei cognitionem perveniat, quae ideo velut *insita et cum natura conserta* non quidem opponitur notitiae simpliciter acquisitae sed cognitioni excultiori, quae studiis meditate susceptis efflorescit, tum potissimum illi, quae disciplinae et institutioni vel positivae revelationi debetur. Quare si notitia Dei illa rudior et primitiva cum hac altera subsequente et expolitiore conferatur, ea immediata etiam dici potest, licet immediata non sit eo sensu, quod Deum nullo interposito medio cognoscamus. Huiusmodi enim immediatam cognitionem Dei in se ipso et ex se ipso ss. Patres et veteres doctores praeter visionem beatificam nullam noverunt, qua de re in sequentibus dicendi adhuc locus erit. Nunc eam quam declaravimus, cognitionis *insitae* originem a Patribus doceri demonstrandum est.

1° Statuunt imprimis Patres illi ipsi, qui de cognitione Dei insita loquuntur, principium generale, animam quamdiu cum hoc corpore mortali unam naturam componit, non nisi a cognitione sensibilium primum progredi ad cognitionem intellectualium et nominatim Dei ipsius ita, ut illa huic necessario supponatur, et haec illi tamquam cuidam ascensionis gradui insistat, quae verba sunt Clementis Alexandrini (1). Inter PP. quos auctores citati Thomassinus, Klee, Staudenmair adtulerunt velut indubitatos vindices ideae et cognitionis Dei mentibus humanis concreatae, vix pauci sunt, qui eam quam indicavimus humanae cognitionis theoriam disertis verbis non tradiderint, Clemens Alex.

(1) Ἡ μεν αἰσθησις ἐπιβαθρα της ἐπιστημης Strom. II. p. 364. Idem expressit Tertull. de anima c. 18: « videtur intellectus duce uti sensu... et principali fundamento. »

Strom. II. p. 364; Tertull. de anima c. 18; Origenes contr. Celsum l. VII. n. 37; de principiis l. IV. n. 37; Athanasius contr. gent. n. 35. (cuius verbis et sententiae consonant Cyrillus Alex. thesaur. assert. 31. T. V. P. 1. p. 264. 267; Dionysius de divin. nom. c. 1. §. 4; Damascenus de Fid. Orthod. I. c. 4.); Gregorius Nazianz. or. 28. al. 34. n. 3-21; Basilius epp. 234. 235.; Gregorius Nyss. contr. Eunom. l. I. p. 82. (in appendice Opp. edita a Gretzero); l. XII. T. II. p. 320-331; Augustinus de Genes. ad litter. l. IV. c. 32. n. 49; Ioannes Damasc. de imag. or. I. n. 11.

« Nos ratio excipit, inquit Nazianzenus l. c. n. 16, Deum desiderantes (ratio igitur naturaliter fertur in Deum, sed audi quomodo), *et non sustinentes aliquid esse sine auctore et rectore* (ex lege scilicet causalitatis et rationis sufficientis continuo nobis oboritur inspecto hoc universo cognitio aliqua auctoris et inde desiderium ulterioris cognitionis); unde res visibiles considerans et insistens exstantibus inde ab initio neque in his haeret (ut accidit plurimis ratione non rite utentibus, de quibus dixerat n. 14. 15.); non enim rationis erat principatum dare his rebus, quae quoad sensum nobiscum paris conditionis sunt; *atque per haec assurgit ad superiora his et ad eum, a quo habent ut sint*..... Sic ratio a Deo data et omnibus congenita et prima in nobis lex omnibusque conserta (scilicet lex, qua ratio in cogitando regitur) ad Deum nos deduxit ex visibilibus » (1). Quam necessario hic sit processus rationis in praesenti nostra conditione, declarat Gregorius n. 12. « Hoc nobis perspicuum est, quemadmodum nulla ratione fieri potest, ut quis, quamlibet gressum urgeat, umbram suam praecurrat, aut oculus citra intermediam lucem et aërem rebus aspectabilibus coniungatur, aut pisces extra aquam natent; ita etiam esse impossibile iis, qui sunt in corporibus, sine corporeis omnino coniungi intellectualibus; semper enim aliquid nostrarum rerum (sensibilium) incidet » (quia hoc

(1) Ἡμας δε ὁ λογος δεξαμενος ἐφιεμενους θεου, και μη ἀνεχομενους το ἀνηγεμονευτον τε και ἀκυβερνητον... δια τουτων ἀγει προς τα ὑπερ ταυτα, και δι' οὑ τουτοις το εἰναι περιεστιν... οὑτως ὁ ἐκ θεου λογος και πρωτος ἐν ἡμιν νομος και πασι συνημμενος ἐπι θεον ἡμας ἀνηγαγεν ἐκ των ὁρωμενων.

medio pervenimus ad intellectualia) (1). Nam (subdit n. 21) « quasi parvo instrumento magna molimur, dum sapientiâ humanâ entium cognitionem venamur, et ad intelligibilia appellimus sensibus vel non sine sensibus, a quibus circumferimur et in errorem inducimur (qui scilicet nullus esset, si rerum essentias immediate in se ipsis intueremur), et non possumus nuda mente (naturâ quippe compositâ sumus) nudis rebus occurrentes propius accedere ad veritatem, ac mentem informare conceptibus » (2). Haec aliaque multa his gemina in ea oratione disputat s. Pater, ut adversus Eunomianos demonstret, non aliam nos naturalem de Deo cognitionem habere quam acquisitam ex consideratione operum Dei, ipsamque revelationem Dei de se ipso non nisi analogice ideis ex creaturis derivatis intelligi a nobis posse, eo sensu, quo dixit s. Thomas: « quamvis per revelationem elevemur ad aliquid cognoscendum quod alias nobis esset ignotum, non tamen ad hoc, quod alio modo cognoscamus nisi per sensibilia » S. Th. in Boëth. Trin. lect. II. q. 2. a. 3.

Hunc sensibilium et intellectualium cognitionis ordinem, cui natura nostra composita in hac vita subest, Tertullianus habet ut certissimum non solum ex sententia philosophorum sed ex ipsa Apostoli auctoritate, eoque velut fundamento nititur ad demonstrandam evidentius unitatem naturae hominis, quae cognitionis utriusque tum sensibilium tum intellectualium subiectum est. « Quomodo enim praeferatur *sensui intellectus, a quo informatur ad cognitionem veritatum?* Si enim veritates per imagines apprehenduntur i. e. invisibilia per visibilia noscuntur, quia et Apostolus nobis scribit: invisibilia enim eius a conditione mundi de factitamentis intellecta visuntur;... *videtur intellectus duce uti sensu auctore et principali fundamento, nec sine illo veritates posse contingi;* quomodo ergo potior erit eo, per quem est, quo eget, cui debet totum quod attingit? » l. c.

(1) Οὕτως ἀμηχανον τοις ἐν σωματι διχα των σωματικων παντη γενεσθαι μετα των νοουμενων, ἀει γαρ τι παρεμπεσειται των ἡμετερων.

(2) Και οὐκ ἐχομεν γυμνῳ τῳ νοι γυμνοις τοις πραγμασιν ἐντυγχανοντες μαλλον τι προσιεναι τῃ ἀληθειᾳ, και τον νουν τυπουσθαι ταις καταληψεσι.

Doctrinam eandem pariter ex testimonio Apostoli deducit Origenes contr. Celsum VII. n. 37. Ex illis Pauli verbis ait, « scire licet, quamvis in hac vita *oporteat homines a sensibus incipere ac sensibilibus, ut inde ad intellectualium naturam ascendant*, non tamen in sensibilibus standum esse » (1).

Causam cur hic necessarius sit nostrae cognitionis processus, Athanasius, Cyrillus, Dionysius, Damascenus ll. cc. aliique hanc esse declarant, quod humanae cognitionis obiectum proprium sunt essentiae rerum sensibilium, ideoque Deus qui est super omnia entia transcendentaliter diversus et eminens, in ipsa sua natura et per ipsam nobis non est cognoscibilis; unde fit, ut non nisi ex effectibus quadamtenus cognosci a nobis possit. « Deus, inquit Athanasius l. c., invisibilis est et incomprehensibilis in sua natura *utpote omnem creatam essentiam transcendens, et propterea humanum genus eius cognitionis exsors futurum erat, quia haec (creata omnia) sunt ex non exstantibus, ipse autem est increatus. Quamobrem creaturam verbo suo ita disposuit, ut saltem ex operibus ab hominibus cognosci posset* » (2). Clarius adhuc ceteri commemorati Patres eandem rem exprimunt. « Cum cognitiones nostrae omnes sint entium et ad entia terminentur (scilicet universalissimus noster conceptus proprius est *entis in communi,* quem ex creatis et sensibilibus primum accepimus, et sub quo omnia cognoscimus); Deus quia est super omnem essentiam, effugit cognitionem nostram » (in propria sua natura). Ita ll. cc. Dionysius (3) et ex eo Damascenus, qui ambo inde dedu-

(1) Ὅτι εἰ και τους ἐν βιῳ ἀνθρωπους χρη ἀπο αἰσθησεων ἀρξασθαι και των αἰσθητων μελλοντας ἀναβαινειν ἐπι των νοητων φυσιν, ἀλλ' οὐτι γε ἐν αἰσθητοις καταμενειν χρη.

(2) Ἐπειδη ἀορατος και ἀκαταληπτος ἐστι την φυσιν, ἐπεκεινα πασης γενητης οὐσιας ὑπαρχων, και δια τουτο ἐμελλε το ἀνθρωπινον γενος ἀτυχειν της περι αὐτου γνωσεως τῳ τα μεν ἐξ οὐκ ὀντων εἰναι, τον δε ἀγενητον· τουτου ἑνεκεν την κτισιν οὐτω διεκοσμησε τῳ ἑαυτου λογῳ ὁ θεος, ἱν' ἐπειδη την φυσιν ἀορατος ἐστι, καν ἐκ των ἐργων γινωσκεσθαι δυνασθη τοις ἀνθρωποις.

(3) Εἰ γαρ αἱ γνωσεις πασαι των ὀντων εἰσι και εἰς τα ὀντα το περας ἐχουσιν, ἡ πασης οὐσιας ἐπεκεινα, και πασης γνωσεως ἐστιν ἐξῃρημενη.